Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



substantiam tuam et impletum domus
meas spolis sorte mitte nobiscum
marsupium sit unum omnium nostrum fili mi
Ne ambules cum eis prohibe pedes
tuos a semitis eorum Pedes enim illorum
ad malum currunt festinant ut effundant
sanguinem Frustra autem iacitur rete
ante oculos pennatorum Ipsi quoque contra
sanguinem suum insidiantur et moliuntur
fraudes contra animas suas Sic semite
omnis auari animas possidentium rapiunt
Sapientia foris predicat in plateis dat
vocem suam In capite turbarum clamitat in foribus porticum urbis profert verba
sua dicens Usque quo paruli diligitis infantiam et stulti ea que sibi sunt
nociua et insipientes et imprudentes odi-
bitis scientiam Convertimini ad correptionem
meam Ecce eiiciam vobis spiritum
meum et ostendam verba mea Quia
vocaui et renuistis extendi manum
meam et non fuit qui aspiceret Despex-
istis omne consilium meum et increpationes
meas neglexistis Ego quoque in interi-
tu vestro ridebo et subsannabo cum vobis
id quod timebatis advenerit Cum irruerit
repentina calamitas et interitus quasi
tempestas ingruerit cum venerit super
vos tribulatio et angustia Tunc in-
vocabitis me et non exaudiam mane
Gnaturi et non invenient me eo quod ex-
osam habuerunt disciplinam et timorem
domini non susceperint nec acquieuerint
consilio meo et detraxerint universe cor-
reptioni mee Comedent igitur fructum
vie sue suis et consilio suo satiabuntur Vul-
sio parvulorum interficiet eos et abundan-
tia stultorum perdet eos Qui autem
me audierit abque timore requiescet
et abundantia perfruetur timore ma-
lorum sublato/

Fili mi si susceperis sermones meos
et mandata mea absconderis
penes te ut audiat sapientiam aures
tua inclina cor tuum ad inquirendam
prudentiam Si enim sapientiam invocaueris
et inclinaueris cor tuum prudentiae si
quesieris eam quasi pecuniam et sicut
thesauros effoderis illam tunc intelli-
ges timorem domini et scientiam dei inuenies
quia dominus dat sapientiam et ex ore
eius prudentia et scientia Custodiet
rectorum salutem et proteget gradientes
simplicitate Semitas iustitiae et
viam sanctorum custodiet Tunc intelli-
ges iustitiam et iudicium et equitatem et
omnem semitam boni Si introuerit
sapientia cor tuum et scientia anime tue placuerit
consilium custodiet te et prudentia seruabit
te ut eruaris a via mala et
ab homine qui prava loquitur Qui re-
linquunt iter rectum et ambulant per
viam tenebrosam Qui letantur cum
malefecerit et exultant in rebus
pessimis Quorum vie prauae sunt et
infames gressus eorum Ut eruaris a
muliere aliena et ab extranea que
mollit sermones suos et relinquit duci-
tem pubertatis sue et pacti dei sui oblita
est Inclinata est enim ad mortem domus
eius et ad inferos semite ipsius Omnes
qui ingredientur ad eam non redibunt
nec apprehendent semitas vite Ut am-
bules in via bona et calles iustorum
custodias Quia cum recti fuerit habitabit
in terra et simplices permanebunt in ea
Impii vero de terra perdentur et qui iniqui
sunt auferentur ex ea/

Fili mi ne obliuiscaris legis
mee et precepta eius tuum custodiat
longitudinem enim dierum et annos vite et
pacem apponent tibi misericordia et veritas
te non deserant Circumda eas gutturi